







1741.

1. * Bornius, Jacobus : Collegii juridici Senior, C. O. Roden-
berg : Programma, quo ad memoriam Bornianam
nomine invitatur.
2. Baucus, Isaac Gorpers : De cive novo ad collec-
tam ab debito civitatis antiquam solvendam abli-
gato.
3. Hebonstret, Johannes Smellus, fac. med. procancelarius :
De medici cadavera secantis religione. Programma, quo
panegyria medicam indicitur.
4. Hocknerus, Johannes Fredericus, fac. jur. procancelarius :
Programma, quo solennis inauguralia hucus Palaeus
Leyseri indicitur.
5. Hommelius, Frid. August : De cantu publicatione
sententiae Criminalis.
6. Isackius, Joh. Gullielm : De Diversa legis naturae
conceptione ratione.
7. Zuecher, Christ. S. Gullielm : De Hadriani Imperatoris
calacriam : Programma, quo ad panegyria baccalari
verum invitatur.

1741.

8. Focher, Christ. Sallab : De Lusacie cum Archipraesentatim Parthenopolitano nexu clientelari commentio simulque ad orationem memoriam Symplicianae sacrae . . . invitata.
9. est Angler, Joh. Fridonicus : De literis credentiaibus legatorum. 2. Exempl.
10. Angler, Joh. Fridonicus : Tab. de sectione debitorum apud Romanos interpretativa Prykersthaekianae apposita.
11. Kestnerus, Abrahamus : De testibus injuratis simulque collegia aestiva indicit.
12. Kestnerus, Abrahamus : De reservationibus mentalibus simulque collegia hyberna istimat.
13. Masperger, Paulus Jacobus : De acquisitione domicii originaria in statu naturalis.
14. Munkel, Gottpeter Ludovicus : De statibus civitatum provinciarum in successione ab intestato et bona

etiam ab hi estā secundum jus civile extendendis.

15. Mylius, Ernestus Henricus: De poena indignationis
ejusque effectu.

16. Mylius, Ernestus Henricus: De fictione quasi contractuum
tamen in jure Germanico otiosa.

17. Mylius, Gustavus Henricus, fac. jur. pro cancellariis:
Programma, quo panegyris trans. Franci Pauli Trummeri
... indici.

18. Mylius, Gustavus Henricus: Actuaris peccatus in actu
jurandi.

19. Mylius, Gustavus Henricus: De novi operis nunciatione
in foris Germaniae.

20. Mylius, Gustavus Henricus: De poenis militum famulo-
ris.

21. Rechenberg, Carolus Otto, fac. jur. pro cancellariis:
Programma, quo solemnitas inauguralis Gotthelf Ehrenpford
Wulffii in West.

1741.

22. Rivinus, Franc. Florens, fac. jur. procancellarius:
Programma, quo solemniter inauguratus Christianus
Gottfried Weidlichii . . . indicit.
23. Rivinus, Fr. Florens: De schedula testamenti adjecta.
24. Siegelius, Fr. Gottlieb: De generis privilegiorum
conceptu.
25. Meglitzius, Fr. Conradus: De eo, quod mariti in prae-
sentem diem uxorem facere possunt.
26. Thomarius, Traugott: De iudicio inter parentes
et liberos summario.
27. Trummer, Franc. Paulus: De effectu Hypothecae
post resolutionem dominium constituentes.
28. Weidlichius, Christianus Gottfriedus: De acquirentia uxorum.

48

*Instit. Panzer, 1741, 3.
2. 11. 1890.*

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.

PROCANCELLARIVS

D. IOHANNES ERNESTVS
HEBENSTREIT

ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORD.
ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. SODALIS

DE MEDICI CADAVERA
SECANTIS RELIGIONE

DISSERENS

DIE XXIV FEBRVARII MDCCXLI

PANEGYRIN MEDICAM
INDICIT



GRATIOSAE FACULTATIS M. DICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.
PROCANCELLARIVS
D. IOHANNES ERNESTVS
HEBENSTREIT
ANAT. ET CHIRURG. P. T. ORD.
ACAD. IMP. NAT. CVM. SOCIIS
DE MEDICI CADAVERA
SECANTIS REIGIONE
DISSEPTIS
DIE XXIV FEBRUARII MDCCXLI
PANNORII IN MEDICAM





uamuis parum interfit, dum optima conscientia et superiorum iustu res agimus, plebeiiorum hominum contumelias obloqui, et praestantissimam causam coram triiuali iudicio perorare, habent tamen impii sermones male feriatorum, quo labem inurere possint maiorum institutis, siquidem cum mollitie temporis et morum effoeminatorum corruptela stare noluerint. Quare, quae me ad scribendum impulerit necessitas, cuiilibet facile innotescit, nec facile quempiam fore arbitror legentium, cui non aliquis superstitione ductus, de recepto in academiis more, caduera dissecandi, dixerit muliebriter, vel cui non in mentem venerit nescio quae hominum homines dilanantium indecentia. Nec suspicione saltim, sic mussitare quamplurimos inducor, sicut solent, qui suis rebus minus confidunt, id quod iam a Terentio dictum est, Adelph. A& IV. Sc.3. v. 15.

Omnes, quibus res sunt mimi secundae,

Magis sunt nescio quomodo

Suspiciosi et ad contumeliam omnia accipiunt magis,

Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.

Sed vere expertus sum, a cordatis etiam viris, Quos penes arbitrium est et vis et norma loquendi, declamatum fuisse iniuriosius dictumque liberius, quam par est: Quis est, ait Luc. Annaeus Seneca Lib. IV. de Ben. c. 17, qui non beneficis videri velit? Qui non inter iniurias opinionem bonitatis affectet? Qui non ipsis, quae impotentissime fecit, speciem aliquam induat recti? velit quoque iis beneficium dedisse quos laesit. Nec illi quidem rerum quae ad se non pertinent, monitores ad scribendum me compulissent, nisi intellexissem, dehortatoribus suis fuisse credulos, qui abduci se a rebus recte gerendis passi fue-

IV

runt, et religionem, munditiam, humanitatem praetextentes socordiae, vnicum salutaris, quam profitentur, artis fundamentum insuper habent, anatonem, quae aliquando contemptum sui, erroribus, auertat Deus ne criminibus et caedibus humanis, magnaue contemptorum infamia vindicabit. Horum me miseret, quos satius fuisse, a limine medicinae recedere propediem, postquam mortui et euiscerati hominis aspectum tolerare haud potuerunt, quam sine luce palpitare in tenebris, ubique offendere et lucifugarum more ad solem caligare. Post illos enim, nostra parum interest, displicere, cui placere, nequeas: *Nihil opinionis causa*, ait Seneca de Vita Beata Libro c. 20. *omnia conscientiae faciam. Nam arbitror*, ait Isocrates de permutatione Orat. 2. Hier. Volphio Interprete Edit. Basil. p. 462. *vos non ignorare, nostram urbem saepe poenituisse iudiciorum, quae per iracundiam potius quam re examinata facta fuerunt.* Id certe tolerari nequit, religioni tribui, quod taedio laboris penes ignavos homines tribuendum erat. Liceat a Cicerone pro M. Caelio, accipere, cur tam sint pauci semperque fuerint, qui in hoc labore versentur, causas et loquendi modos, quamuis in dissimili materia: *Omittendae sunt omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, conuiuium; sermo est paene familiarium deserendus.* Haec sunt ea, quae paucissimos anatomicis interesse patiuntur exercitiis. Sed quo suam excusent mollitiam, Deum etiam in ore habent, quem, nobiscum si essent frequentius, videre, et palpando ex operibus miratu dignissimis cognoscere possent. Enimvero illos ego a religione quam longissime abesse putauerim, qui cadauera praeter religionem incidere arbitrantur: Id quod praesentis paginae opus est. Impia sane esse nequit sapientia, cuius in Patriarcha Iacobo experimentum fieri permisit sanctissimum numen. Legimus enim eius corpus pollinctoribus

V

floribus medicis traditum fuisse: Obtemperandum adeo-
 que fuit Aegyptiorum moribus homini, qui Deo ex
 paucis carus fuit, cuius viscera, et quidquid denique
 putredini obnoxium prae ceteris est, excindi, irreligio-
 sum haud fuit, aliter enim corpora magnatum balsamo
 condita penes Aegyptios haud fuisse docet Herodo-
 tus Halicarnassensis Libr. quibus nouem musarum indi-
 ta sunt nomina, in Euterpe, qui sex diuersos pollingen-
 di modos descripsit. Vox enim שָׁרָה, quae est in fon-
 tibus, Gen. L, 2. quibusdam significat corpus aperire et
 exenterare, vt est apud Maluendam Theologum Domi-
 nicanum Sec. XVI, referente P O L O in Synopsi ad Ge-
 neseos locum citatum. De Iacobo dubium esse nullum
 potest, vtpote qui ritu Aegyptiorum condiebatur.
 Christo tamen, ritu Iudaeorum condito, illud non
 contigit. De Asa vero Iudaeorum rege 2. Paral. XVI, 14.
 affirmat Mariana Seculi XVI. Theologus Iesuita, in
 Synopsi Criticorum Matthaei Poli ad locum Paralipomenon;
 qui ad verba textus, *quem impleuerunt aroma-
 matibus*, commentatur, vel lectum, vel, quod se malle di-
 cit, corpus defuncti aromatibus insarctum fuisse. Illud
 confirmat Ben Melech in Michlal Iophi ad hunc locum,
 qui prouocat ad testimonium antiquissimorum Rabbi-
 norum, quod lectulus regum et reliqua eorum vtensi-
 lia additis variis aromatibus comburere soliti fuerint.
 Caeterum de Iudaeis dubium non est, eos pollinctos equi-
 dem, sed exenteratos haud fuisse, a quo Lazarus de-
 functus quadriduus haud foetuisset. Praeterea non ma-
 gno labore anatomen ex sacro codice asserere licuerit,
 qui nullam partium humanarum internarum denomina-
 tionem, quam sine anatome, istius temporis medici, ple-
 rumque Sacerdotes, ignoraturi erant, intactam reliquit;
 Sed mittamus antiquitatem anatomes, quam tamen ante
 Erasistrathum excultam fuisse, argumentis euincunt Hi-

VI

foriae medicae. Quid monstrat in se, quos fidei articulos infringat, quos optimos mores corrumpat, quid deum iniuriae fiat in ipsum hominem, qui cultro subest, ego equidem non video. Audiendus hic est Athenagoras Athen. Phil. Apologia pro Christianis p. 95. edit. in 8. vers. Gesneri: *Opifex ille et pater vniuersorum maximus hoc sacrificium ducit, si cognoscamus, quis ille sit tantus: Haec cum cogitamus, et animo complectimur Deum opifexem conseruantem et gubernantem arte et scientia res vniuersas, manusque ad eum puras attollimus, quam amplius beatorum, quo magnificentiore sacrificio indiger. Miseret nos eorum, qui nobis impietatem obiciunt, cum ipsi ne per somnum quidem, qui sit Deus, didicerint, sed imperiti sint ac rudes naturalis ac contemplatiuae doctrinae.* Eodem Philosopho contra ethnicos ita perorantel c. Omnia nobis loquuntur de Dei infinita sapientia, prouidentia, et in determinandis rebus corporeis sagacitate. Non enim tantum communi nos omnes vti partium nostrarum fabrica passus est, quo vectes, hypomochlia, fulcra, funes, trochlea, praela, quibus architectones suas perficere solent operas, mutua collocent officia, motum, vitam, sensum et corporis perennitatem faciant, quod sua sponte extitisse haud potuit, sed singulorum, quotquot nati sunt, quaedam est in rebus corpus facientibus, nouitas. His os frontis bifidum, aliis indiuisum, his futura ossium bregmaris nulla, aliis ossibus triquetris distincta: His fonticulus ossescit, aliis euanescit: Vidimus et habemus quibus costa supra duodecimam, vna fuit, aliis abundauit ex spuris altera: Habuimus, quibus tertia fuit dentium series, sternum infantis osseum, processus spinosus a corpore vertebrae distincto articulo mobili diuisus: Vasa paucioribus eodem ordine diuiduntur: Conspeximus caeliacas arterias, quae phrenicas dederint: Emulgentes ex aorta duas et tres; Brachiales statim ab exortu diuisas; De
fingu-

singulis pauca referam: Habui, cui duplex coli flexura esset, postquam enim illud ad sacrum os deuenerat, sursum denuo reuerti coepit, ventriculi fundo accubuit, ibidem omento adhaesit, et tandem dextro lateri vicinum, peluim intrauit factumque est rectum. Reticere nequeo iucundissimum aliquod, quod nobis haud ita pridem in theatro obuenit, spectaculum: Scabam mulierem iuuenulam, hydrope extinctam, cumque ad sinistram coli regionem accederem, medio sermonis, quo nexum huius intestini cum rene demonstraturus eram, miratus sum renem non inueniri: Veritus ne sensuum turbine abriperer, destiti ab labore, mox solus mecum cogitare coepi, quid illud monstri esset, et omnibus, quae illo in loco obuenire solent, partibus cum cura circumspicis, renem sinistrum abesse cognoui: Nec vreteris vestigium vllum extitit: Interea vasa spermatica sub peritonaei velo distincte vidi et hydrargyro repleui, arterias quidem ab aorta venientes, vtramque autem venam, in cauam desinere annotaui. Dum circumspicio et ouaria muliebria cum vasis perlustro, tumorem sub peritonaeo peluim inuestiente a dextro latere adesse intelligo. Repleueram integram aortam venamque cauam cera, quare et id mirum visum fuerat, arteriam emulgentem et venam emulgentem sinistri lateris prorsus abfuisse, nunc autem ex arteriarum iliacarum furca video insignem arteriam, sacra maiorem, versus tumorem dirigi, suspensis sequor digitis, videoque renem, quem decuerat spuris costis accubuisse, in peluisitum. Nec nouum equidem illud est, nam simile quid a Laur. Bellin. Florent. de structura et vsu renum per Gerh. Blasium Lugd. Bat. 1711. Fig. 14. itidemque ab Eustachio in Tabulis visum descriptumque est. Rarior tamen meus mihi aliisque visus est renis situs, quod mihi sit duplex arteria renalis obseruata, altera ex diuisura iliacarum,

VIII

rum, altera ex hypogastrica proueniens, quodque vena renalis in venam iliacam desineret: Nec tamen ren succenturiatus absuit, quem lieni vicinum et sua, quam semper habet, statione detentum, nec in vasis quidpiam noui habentem deprehendi. Vreterem admodum breuiem fuisse quilibet me etiam tacente intelligit, quem propterea sexto postquam exortus fuit transuerso pollice vesicam subintrare cognouimus. Vteri situm obliquum abinde factum fuisse sponte liquet, quare eundem, a consueta forma abscedentem dextro suo ouario pressius accumbentem a sinistro ouario remotissimum, vasa tamen vtrinque habentem arteriosa et venosa conspeximus: Tubas tamen peruias omni industria admota, non cognouimus, quamuis reliqua essent more consueto composita. Ne quid deesset, eorum, quae hanc anatomem nobis acceptissimam redderent, vidimus et adhuc dum in praeparato videmus coeliacam sex ramis diuisam, duobus ad septum transuersum, vna ad superius ventriculi orificium, reliquis consueto more euntibus. Vidimus etiam venam sine pari, hic compare gaudentem, ductumque thoracicum trunco istius venae inferum. Alia non vrgeo, quae mihi quotidie eueniunt in singulis indiuiduis, noua, inconsueta, nec tamen morbosa: vnde non necessitate quadam absoluta, Deo ab opere vacuo, sed Numinis arbitrio aeternaque voluntate, cum otiosus in omnipraesentia esse nequeat, natalibus nostris prospiciente, fieri ab ovo homines non tantum suspicamur, sed clare intelligimus eoque clarius intuemur, quo frequentiores sumus in laboribus anatomiceis. Quantum enim illud sit, quod nos ad diuinitatem rapiat et refractarios etiam homines obtorto collo ad supremi entis admirationem rapiat, nemo est qui sciat, nisi viderit sanguinis et humorum perennitatem, mutua vasorum auxilia, cordis in virtute sua excessum, qui par sit

fit auertendis et superandis, quae ex ipsis actionibus nostris proueniunt morborum causis, vnde fit vita, motus, sensus, et mille conualescendi rationes. Et quod praestantissimum, nemo est, nisi lignum sit, quin inducatur ad adorandam numinis clementiam, quam fas fit, post tantas, corporis nostri exstruendi causa susceptas curas, menti nostrae plus excellentiusque, quod aeternam salutem attinet, prospexisse. Haec sunt, quae meditatur, irreligiosi profectores. Obuersantur fortasse oculis nostris, gratissimae rerum imagines, quae nos a virtute deflectere possint. Habemus fortasse, de quibus nobis impense gratulari possimus, suauissimos odores, stratas dapibus mensas, quae nos ad extorquenda magistratibus cadauera, ad exorandos bonarum artium Patronos ne denegare nobis putridam voluptatem velint, inuitant. In deliciis forte habemus, cum sanitatis haud raro periculo, putidissimum trahere spiritum, frigore manus adurere, infensam habere plebeculam, nauseabundos magnates. Quotusquisque enim est quin videat, vtilitate publica nos ad secandum incitari, quo denique desinant esse e medicis, qui rerum ad corporis humani oeconomiam spectantium ignari, quod Plin. L. XII. c. 1. sui temporis medicis obiicit, *experimenta per mortes faciant et animas negotientur*, vtque nostra etiam, si fieri possit, patria de chirurgorum dexteritate et secandi peritia gloriari aliquando suscipiat, quae fere penes nos adhuc in sua constituitur infantia: sed non despondendus est animus, et ad anatomen, quae huic arti facem praefert, sedulo sunt excitandi Tyrones: In qua re si mollibus hominibus despectui habemur, parum equidem ab instituto dimouebimur: Non mors tantum sed contumelia etiam atque infamia, in vita, bono viro tolerandae sunt: Sic Greg. Nazianzenus Orat. XX. Col. fol. Tom. I. p. 352. vbi de comitantibus Basilium in exilium loquitur, lepide

B

ait:

X

ait: *Nihil quod ad praeclaram ignominiam spectabat, deerat* vel prout S. Eusebius, Hieronymus Strid. Presbyter habet in Epist. ad Pammachum: *Schedulae, quas misistis, honorifica me affecerunt contumelia: Falsa ea est, quam recte agendo incurrimus, infamia: Resistes,* ait Liuius L. XXII. c. 39. in Oratione Q. Fabii ad L. Aemilium, *aduersus famam rumoresque hominum, Si satis firmus steteris nec tua te falsa infamia mouerit, additque, gloriam qui spreuerit, veram habebit.* Et quid demum illud sit, quod ab humanitate et morum castitate nos longius abducat, dum humanitati ipsi studemus, ego equidem non video, nec viderunt maiores et Principes, quorum auctoritate et imperio haec omnia fiunt. Fragilitatis humanae memores, mortis imagine ad suam quilibet conscientiam in viti etiam conuertimur, dum subita morte extinctos, nec decrepitos tantum senes, sed in flore aetatis constitutos homines, in limine etiam vitae humanae haerentes, quibus ante natiuitatem mori constitutum erat, videmus quotidie et in causas mortis inquirimus: Quapropter is demum, ait Plin. Nat. Hist. Lib. VII. c. 7: *profecto vitam aequa lance pensabit, qui semper fragilitatis humanae memor fuerit:* Sic habet Homerus ille Christianus Greg. Nazianz. Tom. II. p. 146. in distichis edit. Colon. fol.

Fac tibi mors nunquam, memori de mente recedat
Mors tibi sic veniens haud grauis hostis erit:
Eadem migrandi necessitas, inquit Ioh. Chrysof. in Ioh. Homil. LXXXIII. *idem nos exitus manete, nonnunquam ante vesperam imminere, in mentem veniat. Praeparemur ergo huic profectio:* Sed audio triuales homines id nobis obgannire quod splendidissimam hominis fabricam diruamus, euertamus et lacera demum membra terrae committamus, aut humanas partes patredini furripimus, quas decuisset matri terrae reddi et sepulturae religio-

ligionem habuisse, nec stupidos tantum, sed et sapientiores, quibus ita visum est, habemus: Quam tamen a nobis ignominiam in obtrectatores facile reiicimus, quando memores, illos qui ita ratiocinantur, esse iusserimus: quam impium illud sit et a religione alienum omnipotentiam diuinam, cuius aeterna virtute *ἡ ἀποκατάστασις πάντων* salua est, etiamsi belluarum viscera et ferocissimarum bestiarum exta partes humanas coxerint, in angustos compellere limites: Sunt prope amphitheatrum nostrum, quod magistratum in nos propensione, frequens est, magnatum vrbs sepulchra, in quibus, magnificorum hominum ossa, magna olim vrbs celebritate tumulis illata, dispersa nullo ordine visuntur et recentium funerum onere compressa; altero abhinc passu in splendidissimo loco, magna optimorum iuuenum frequentia, ordinantur ossa ebore nitidiora, habitu qui hominem decet composita, omniumque in se ad spectus peruertunt. Habent, qui hoc mausoleo gloriosam resurrectionem expectant pauperrimi olim et miserandae conditionis homines, de quo sibi gratulentur, quod morte sua, tam honorifice haberi, meruerint, et hodienuum nobis loquuntur, postquam sapientissimorum olim virorum ora conticescunt: *Quod si enim prudentiae mos est, iuxta Aurel. Cassiod. Variarum L. IV. ep. 34. in humanos usus terris abolita valentia reuocare, quia illis in nulla parte profutura locantur, imo culpae genus est inutiliter abdita relinquere mortuis unde vita potest sustentari uiuentium.* Certe ridiculum esset terrae committere, quae uiuentibus prodesset valent cadauera. Mihi denique dicta sunt, quae in Senecae et Publii Syri sententiis habentur, *turissima res est nihil timere praeter Deum.* Addit Ianus Gruterus in notis posthumis ex Arriano ad Epictetum; *Quocirca vir bonus et sapiens memor quis sit et unde venerit et a quo factus sit in eo solo elaborabit, quo pacto suam stationem in rite tuea-*

XII

tur Deoque suam probet obedientiam. Magno semper solatio fuit inter labores, turpissimos quibusdam visos, versanti, habuisse operis socios politissimos iuuenes, qui ad veram sapientiam, quae est sui ipsius conscientia, mecum adspirarunt. Inter quos locum suum tuetur iuuenis praestantissimae virtutis

D O M I N V S

GEORG. CHRISTIAN. HAHN,

EX DVCATV LIGNICENSI SILESIVS,
MEDICINAE CVLTVR INDEFESSVS,

qui in suam, parentum, patriaeque vtilitatem natus, ex quo in hanc bonarum artium vniuersitatem concessit, talem se nobis praebuit, quales nostros omnes cupimus esse, pium, industrium, sapientem virum, quem etiam, hoc virtutis suae praemium a nobis, quos ille Praeceptores habuit, reportare posse, et nostro et academiae nomine gaudemus. Postquam enim ille omnes artis salutaris disciplinas suas fecit, prima iam laurea a nobis impetrata summam votorum suorum attingere coepit. Illis quae praestanda erant praestitis vltimum nuper examen fortiter feliciterque penes ordinem nostrum exsuperavit, omniumque suffragio dignus est habitus, cui ex merito Licentia summos in medicina honores indispescendi, conferretur. Quare consueti academico, quod vnicum eidem, agendum superest diem decreuimus XXIV. Februarii, quo ille, a me, Procancellario superiorum autoritate constituto, vitae academicae cum laude peractae habiturus est complementum: Exorandi nobis sunt, quo huic Panegyri interesse dignentur, Rector Academiae Magnus, Illustrissimi Comites, vtriusque Reipublicae Procures, Generosissimi Nobilissimique Commilitones, quod si fecerint, nobis et ordini nostro gratissimum praestituri sunt officium. Dab. Lips. d. XIX. Febr. MDCCXLI.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

ULB Halle 3
003 850 080



Sb.







48
Johann Pander, 1741, 3.
2.11.1890

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.
PROCANCELLARIVS
D. IOHANNES ERNESTVS
HEBENSTREIT
ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORD.
ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. SODALIS
DE MEDICI CADAVERA
SECANTIS RELIGIONE
DISSERENS
DIE XXIV FEBRVARII MDCCLXI
PANEGYRIN MEDICAM
INDICIT

